Nicolaus.

Tarczewski Joannis: Excelsum meritis, sapientia, virtutibus caput in Nicolao Zalaszowski coronatum.

EXCELSVM
Meritis, Sapientiâ, Virtutibus

C A P V T

In Perillustri & Reverendissimo Domino

D. NICOLAO ZALASZOWSKI

V. J. Doctore Archidiacono Posnań:
Protonotario Apostolico,
Seminarij Provisore Vigilantissimo,
Iudice surrogato. S. R. M. S.
Novi muneris accessu
Archidiaconali scilicet honoris fastigio

C O R O N A T V M

Ac in primo tantæ eminentiæ ingressu
Inter festiua Peraugusti Capituli desideria,
Inter tripudiantia Academiæ Posnan: Vota
Inter triumphales Illustris Iuventutis plausus
A devinctissimo tanto Nomini Cliente.

M. IOANNE TARCZEWSKI *Phie: in Alma Vniversitate Crac.*
Doctore *in Posnan: Academia Rhetorices & Dialect: Professore,*
Contubernii Szoldrsciani Præfecto,
Vectigali Cultu, & profundissimâ veneratione

SALVTATVM.

Anno Capitis in terris inter membra Christi 1695.

Typis Academiæ Posnaniensis

In Avitum Perillustris & Reverendissimi Domini INSIGNE



Iam pridem meruit Virtus Insignia tanti
Muneris, hoc dignum semper Honore CAPVT
Nil tamen optabat, toties cum plurima posset,
Eximium magna credite mentis opus.
Cum simul involui tenebris sapientia vellet
Panditur ASTRIGERA *nobile* LVCE CAPVT

IOANNES *de Cerekwica* CEREKWICKI *Pocillat:*
Wschowens. Poës: in Acad: Posn: Stud:



Ad

PERILLVSTREM & REVERENDISSIMVM DOMINVM

D. NICOLAVM ZALASZOWSKI

I. V. Doctorem Archidiaconum Posnaniensem Protonotarium Apostolicum Seminárij Provisorem Iudicem surrogatum S. R. M. S.

MAgnitudo Nominis Tui, tantorumq́ sacra in Republica meritorum gloria, quâ in dicendo summorum Artem, scribendiq́ licentiam enervas, iustam calamo incutit formidinem, quoties impar Nomini Tuo Elogiastes, in vectigalem tanti CAPITIS *assurgo reverentiam* PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. *Nec vana silentij ratio inconsultos convincit ausus, Dædaleæ exemplo Prolis, ne immensâ quâ fulges luce, parem sudantibus ingenijs cladem opponas, ceu quondam ceratis Phœbea maiestas alis. Illustras Ecclesiam, raro sapientiæ Tuæ exemplo, pietatis incitamento, ac incomparabili constantiæ vultu. Discutis tot difficultatum umbras, ceu Atticas quodam Plenilunio Noctes, aut verius dicam, velut aurea solis orbita in quendam singularis gloriæ Tuæ circumplexa tornum. Beneficiorum magnitudine, gratiarumq́ Tuarum radijs Lubranscia animatur* PINVS, *in novam duraturi in ævum Nominis sui vitam, nosterq́ Parnassus. Te Phœbo ceu chori sui Præside quia munificentissimo Benefactore, in pulchram revirescit amœnitatem, plenam lætitiæ faciem explicando. Quidni ergo in tenues quamvis prorumpere voces Tulliani fontis accolæ licebit. Immo Marpesia quantumvis caute, aut duro Memnonis saxo, obrutum geram pectus, aut excisas Tarpeiâ de rupe fibras, non Tuam animi magnitudinem vana taciturnitate licebit præterire, fabulamq́ Memnonis adversiorem præstat revocare exitum, ex tanti honoris accessione novam loquendi sumendo potestatem. Præmisisti equidem disertissimos pro Domo Oratores tot illustria operum Tuorum monumenta, tantam paucisq́ usitatam rectefactorum seriem, longo ordine in minora gentium Astra derivatam. Divæ Themidis Oraculum sero venturis audies Nepotibus cum iam præsens hæc quam vivimus ætas id Tuis ingeminet profundioris sapientiæ documentis. Loquentur pro Te ad secuturam posteritatem, effusa in sacros Cœlitum Penates, ære perenniora munificentiæ Tuæ testimonia, restitutus*

Aris splen

Aris splendor, depulso veteri squallore. Novus Altaribus honos. Tantis virtus Tua ad gloriæ suæ energiam abundat oratoribus, quibus ceu nova inspirat verba, dicendiq; plenitudinem, meritorum Tuorum claritudo. Verum meam quoq; exigui licet Encomiastæ, non excludes paginam, obscura quidem verborum series, Tuam non attingit lucem, sperat tamen hanc à Te potius se se accepturam. Maiora quippe sunt Tuarum in nos totamq; nostram Academiam gratiarum & effusæ liberalitatis argumenta, quam ut vel dictis æquari possint, vel scripto ad proportionem Arithmeticam revocari. Quidquid in Tuis laudibus impar detrivit calamus, Tua supplebit gloriæ magnitudo. Accepta igitur hanc quantulacunq; est opellam, nec verba sed mancipatos propensi-onis Academicæ pensa affectus, ceu aperto quondam Zopiri malogranato Epirotarum Rex, quot acinos, tot secuturæ Tuæ felicitatis lege apices. Vive diu felix immensos Vive per annos. Eant Tibi magni menses, fluant sæcula puro ducta obryzo Continuent superi pleno mea vota favore, quæ communis vox pro Te sonat, quæ dex unanimi mancipatæ nutibus Tuis Academiæ voto, precor & Palladis nomine auguror.

Perillustris ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ.

Devinctissimus Cliens

M. IOANNES TARCZEWSKI
Rhet: Professor Contubernij Szoldrsciani Præfectus

EXCELSVM

Meritis, Sapientiâ, Virtutibus,

CAPVT



Rmatam vectigali calamo manum,
Linguam non popularis Plinij disertissimam,
Vinctosq; Pindaricis numeris pedes,
Permixtas plausibus voces,
Et quidquid Oratorij Corporis elegantissima spirat Simetria,
Non triviali obsequio & conatu
In tributariam suo honori urget reverentiam.
Magnum istud quod molimur Opus est,
Fastigium tanti CAPITIS attingere. vel laudum coronamento,
Et ad summa laudatricem urgere pennam,
Quæ calcaneo subiecta pedum,
Hinc opem animumq; poscit.
Nec laurum à plantis optat, sed censuram,
Quâ forsitan innodari (ut aiunt) cogeretur
Convicta profano ausu Panegyris.
Scilicet, eruditam quantumvis vivere ætatem dicimur,
Ea tamen temporum calamitas est
Laudatoribus communis,
Qui dum in Culmen meritorum audaci nituntur pennâ
Infelici Dædaleæ Prolis relapsu
In Icariam detrusi voraginem,
Exitu implent fabulam
Promiscuam temeritatis daturi pœnam
Quod soles terrarum inconsultâ petijssent audaciâ.
Lux tua in Firmamento Ecclesiæ patentissima,
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE
ARCHIDIACONE POSNANIENSIS
Maiestate radij intuentium perstringens palpebras,
Nec profano fulgore
Mirantium irradians animos,
Iustam Vmbratili Svadæ portendit formidinem.
Quod tanti non pro Maiestate CAPITIS
Conari tenuis grandia debeam,

Pusio Orator.

Metiri primo giganteam tanti Nominis excellentiam debueram
Ast inconsultâ quadam effusi præ gaudio pectoris celeritate
Rapta extra se vis Enthea,
Ac oblita sui quo pulcher gloriæ Tuæ urgebat Amor,
Quo publica ex Tuo Honore lætitiæ scena vocabat,
Dulci quâdam violentiâ
Omnem obstantis moræ luctam perrumpere
Inter Tui Honoris Triumphos duximus.
In Tuam gloriæ Magnitudinem, omne laudatoris genus movere
Voces & calamos animare,
Velut ex condicto, & quâdam animorum conspiratione
Publica gaudiorum indixit tessera.
Promiscua quippe Officiosi Cultûs promptitudo est,
Ac præceps plaudentis officij lucta,
Eos in fastigio honoris spectare;
Qui meritorum suffragijs huc evecti,
Vsitatam ijs monstrârunt viam.
Quorum Verona non Placentia Mater,
Succedaneo Iure pulchram ex asse Virtutum hæreditatem,
In perennem dedit titulum.
Meritissimis Nepotibus
Sua se lucein apricum gloriæ promentibus.
Atq; unum Te viderunt sæcula,
Doctorum Phænicem
E Mâgnorum Cineribus Sapientiæ Dynastarum rediviuum.
Primum Iuventæ Florem
Ad candidam limacioris ævi lucem,
Vel magnæ in herba spei aptabas semper,
In illa Regum Altrice, & Alumna,
Alma inquam Vniuersitate Nostra Cracoviensi,
Feracissima bonarum Mentium Matre,
Fæcundissima Regum Regnorumq; Schola;
Sacrorum Nectar Fontium
Aureos omnium Facultatum hausisti latices,
Ea Capacis animi Tui dulcedine;
Ut coniurata veluti omnium vota,
In secuturæ Magnitudinis Tuæ præsagia accenderes.
Prominebat in prima illa ætatis Tuæ indole,
Magnæ spei non difformis Idea,
Quæ velut in tersissimo quodam speculo,
Futuram Nominis Tui gloriam,
Sole clariùs demonstrabat
Ad veteris ævi invidiam.
Philosophicis ibi ac Mathematicis vacabas disciplinis
Ita; ut in Stagyritico illo Cursu,
Nullum non gloriæ passum exegeris;
Pulcher Sapientiæ Olympionices.

Vixq;

Vixq; ad optatam Aristotelicorum Olijmpiorum stetisti metam'
Meritissimo CAPITI TVO
Nedum Vigesimum attingens annum Lauream insumpsisti,
Dignissimus Philosophiæ Doctor.
Non erubuisti sacrum illud eruditi honoris Coronamentum,
Quod ante TECZYNIORVM, OSSOLINIORVM,
LVBRANSCIORVM, OLESNICCIORVM
Ducum, Cardinalium, Præsulum,
Auro ac lauro digna ornabat tempora
Egregium scilicet Virtutibus decus est,
Si quod Insularum Mitrarumq; pondus premere debuerat CAPVT
Prodromo laureæ insessu aptetur
Ad expeditius ferendum tam illustre munus.
Post eximium illud Philosophici laboris insigne
Etiã sublimiorum decoramenta scientiarũ, hic facile merueras
Sed Patrii angustiæ Climatis
Inusitatæ iam tunc Nominis Tui
Magnitudini arctum opposuère spatium,
Extero Soli Sacranda Indoles
Vt inibi etiam congruam factis referat lucem.
Et certe Cultissimum Italiæ Solum
ætatis Flori amicum erat.
Illustria ibi Terrarum Spatia emensus
Diutiorem Romæ legisti stationem.
Gentilitio Tuo CAPITI
Primùm Orbis nunc sacrorum CAPVT ROMA
Triumphaleq; inibi CAPITOLIVM,
Favorabilem amænitatis præbuit locum
Celsiorum ibidem scientiarum Laureis
Virtus Tua coronata.
In Sapientia Romana Iuris Vtriusq; Doctoratu insignitis
Sacer Iustitiæ Mysta,
Novum Diuæ Themidis Oraculum,
Iusti & æqui genuina amussis,
Cuius Virtus & sapientia bilancem meruit
Ad æqualitatis mensuram
Et proportionatissimum Vtriusq; ponderis æquilibrium.
Ita iam ferax laurearum CAPVT
Ad Patria redire membra necesse est
Vt integratũ gloriæ Tuæ Corpus, cũ omni appareat Symmetria.
Verũ cum iam Patria inter limina optatissimum moliris regresũ
Cum Roma suis Te amplius tenere non posset blandimentis,
Nouo doli genere Tuos vult impedire passus,
Morbificas armat furias luctantesq; impetus
Maligna corripiens febre;
In summamq; Corpus debilitatem & languores,

Per tot redigit Septimanas,
Vt liber cæteroqui animus invito hoc carcere frenaretur.
Ne Cara Patria, ne Alma Vniversitas Cracoviensis,
Mille votis expetitum salutasset CAPVT.
Nihilominus ferali hac discussa caligine,
Et imminentis prope jam mortis vmbrâ
Clarior post nubila Phæbus amicis redijsti obtutibus
Protonotarius & Iuris Vtrius Doctor,
Romanæ gloria Sapientiæ,
Almæ Matris nostræ decus & Corona.
Felicissimo hoc Tuo ab exoticis adventu,
Quantam in animis multorum excitasti lætitiam,
Multorum invidiam
Quæ ceu Solis Vmbra, Virtutis Comes est,
Et benemeritorum Sentina,
Hæc plerumq; loquitur non quod Subest, sed quod obest.
Inde nec quidquam obstante livoris Vmbrâ
Ad Augustum Clarissimorum DD. Iure Consultorum Collegiũ
Gloriæ Tuæ lux pulchro movit invitamento
Inter illustria tot Doctorum Numina
Maturam sibi designans stationem,
Ætate non animo immatura adhuc indoles.
Sed nec ibi diutior Mora,
Natæ ad omnia Virtuti,
Ad Lubranscianam Supremus Arbiter destinaris Palæstram.
Eum hic acturus Phæbum-ș
Sub cuius moderamine Academicus reflorescerer Parnassus,
Totaq; vivacissimi Studij vernaret facies.
Et certe lugubri tunc sub Lubranscia Pieu Vmbræ
Post immanes Baltici Leonis nænias,
Patentissimam late Nominis Tui accessu dedisti lucem,
Eruditas Artes ad veterem reduxisti formam,
Et ferè emortuis vitam reddidisti literis.
Vir sui Nominis scilicet N I C O L A V S
Post hostile ferrum auro, & Ingenio eruditam restaurans aciẽ,
Sed tantis jam à laboribus honorarium præstat quærere respiriũ
Dulcem post bella quietem.
Suum quidem Cathedra Posnaniensis Tibi offert Canonicatum
Sed magni modestia animi recusauit,
Ni impulsu meritorum
Socialis gloriæ Virtus
Votis communibus obsequi cogeretur.
Felix certe honoris accessio,
Quæ luctam âgit in ipso dignitatis passu.
Præhabens ferri potius ad Culmen quam ire.
Ast hic quoq; nulla Virtuti quies

Gravis

Grauis Iudiciorum moles Tuis partitim incumbit humeris
Dum assessorialem induis potestatem,
Ab Ordinario Iudice Authoritate Secundus,
Cum Magno illo DOBRZELOVIO bene omnia moderans.
Quia ad iusti & æqui rationem.
Verum *Atlante* remoto mox in Alcidem
Tanto muneri parem
Ponderosa hæc rerum devoluitur moles;
SURROGATUS scilicet toties IUDEX audiris,
Oraculum Delphico majus,
Sacrarum Legum Propugnator
Et Vivum *Iustitiæ* simulacrum.
Vnde tantam de Tua magnitudine merueras opinionem,
Tantum de fide integerrima sensum,
Vt, quibus in Vitá quædam Cordis portio fueras,
Post fata sis votorum meta & terminus,
Immo etiam qui Tuam in Vivis odio habuére Virtutem
In extrema mortis lucta bonorum Suorum ultimæq; Voluntatis
Intaminatum imploraverunt Arbitrum,
Bene conscij, quod etiam apud Hostes suum Virtus pretium habeat.
Quandoq; & odia capiuntur Virtutis amore,
Vicisti quosuis aduersorum impetus
Conformans Te cum Gentium Doctore, CRVCIFIXO
Cujus, apud Te amor, & Vnicum Cordis delicium
Omne tulit punctum
Te Zelotem cultûs sui ardentissimum,
Et omne impendij genus erogantem
In patentissimum decus & singulare sui ornamentum
Agnovit Rex ille Regũ Sanguinis sui purpura & spineo diademate
Pro Salute humani generis feraliter coronatus,
Cujus nobile sacellum ope Tua nitet illustrius,
Vbi illustrissimorum Nomina trophæo mortis erexisti,
Gordio Tholibowsciæ Fasciæ nexu
Indissolubile amoris Tui in sponsi Cælestis vulnera fœdus,
Singulari Tuo accessu innodans.
Dulci resonat harmonia Passionis Domini memoria,
Quadragesimalibus ferijs.
Tuo nutu & arte ordinatissime & ad præscriptum legis regula-
Singulis concinnata Dominicis. (rissime
Lamentabile illud mortis excelsæ melos,
Et tristes Crucifixi neniæ,
Tuo ex arbitrio compunctis Fidelium Cordibus geminatæ
Post sera fata
Æternæ quæ Te manet felicitatis tesseram,
Sacris Tuis innuunt meritis.
Fortunatum Atletam cruenta Salvatoris via
Ad cælestem eluctari Patriam.

C. Quis

Quis non miretur,
Quis non imitaretur euntem
Nisi Sarcina malorum pigerrimos impediat passus
In illis quos Herculis Biuium ad Voluptatis iter direxit.
I ergo felicissime Viator meritorum Tuorum App à
Ad æternæ metam prosperitatis.
I ad Sublimiorum Culmina dignitatum,
Quo Tua Te merita Vrgent,
Quo rara sapientiæ vis iuuitat,
Quo Sacrorum justa æstimatio Principum promouet
I nostrorum inter desideria animorum,
Dulce Almæ Matris Germen,

CANTIANÆ pietatis gemma,
Nostræ gloria Ierusalem & honorificentia Populi
Prudentissime Magni PRÆSVLIS
(Meditata quæq; sui elogia Supergressi) Ocelle
Vniversi Regula Cleri,
Sacratioris vitæ norma
Et tersissimum omnis honesti speculum
Atq; ut deuinctissima Honori Tuo in Nobis agnoscas pectora,
Et pedisequam animorum propensionem;
Finem exiguæ panegyris in Apollinea conijcio vincula
Absolutis gloriam Tuam numeris,
Vinctisq; pedibus libere secuturus.

PVRISSIMUS

Clientali Candore & obsequio
JAMBUS,

Obligatā tanto Nomini exaggerans propen-
Et concatenatam votorū seriem (sio nē
In æviternum duraturæ prosperitatis fædus,
Pierio uniens vinculo.

Ocelle Magni Præsulis sacrum decus
WITWICCIANÆ splendidumq; gratiæ
LVNÆq; SIDVS, quo latebrarum truces
Fugas recessus, abditos vmbræ sinus
Voluens per omne Gentium confinium.

La-

Latere pectus inclytum quanquam velit,
Modestiæq; nube tantisper tegi?
Ast pervicacem carceris rumpit moram,
Et quidquid obstat tollitur quiuis obex,
Favente LVNA dupliciq; sidere
Monstratur altis excitata somnijs
Virtus, sepultas eruens rerum vices.
Te nutrit alma faustitas pleno sinu,
Sacrumq; nectar faucibus stillat Tuis;
Dum verba fundis veriora delphicis
Ante simulacris, Te minor vel Delij
Cortina Phæbi, prisca seu vatum fides,
Vincis superbos legis antiquæ sonos
Quos Fama toto buccinat mundo super
Prodigiosas luribus struens vias,
Quêis ad supina tendat Achilles juga.
Non Te profani gustus otij tenet,
Non delicatis nutibus mollis quiēs,
Momenta rerum, seriamq, temporis
Legem coerces, ad Tuam vocans Libram
Et ordinatis comprimis dies modis,
Horasq, docto temperas impendio.
Norunt diurno convolutari Tui
Pallore Libri, Fronte desudans labor
Torquet procellam Nominis magno sacrā,
Hoc imbre surgit multiplex fructus Tibi
Ac eruditæ culmen altum gloriæ,
Vltra vetustam gentium turbam vehit.
Tuam beati Nominis famam melos
Gratus Camænis, & sacro vatum Choro.
Laboriosis grande tormentum moves
Elogiastis, vincit omne Pindari
Vis, argumentum, laudibus sonans Tuis.
Minus est canoris quidquid in Te plausibus
Volui-

Volvitur, Eoi quidquid ex antro Iugi.
Laudationis omne succumbit genus
Tuos & infra sternitur semper pedes.
Tantas adorant Nominis dotes sacri,
In Te supremo Fama quos Clivo locat.
In Te triumphat Diva cuiq, dans suum,
Arbitra justi, missa cælitùs Themis,
Astræa veri Mater ac æqui Parens,
Ignara fuci quo suas pingat genas,
Sacrumq; turpi pectus, incestet dolo.
Te sacra cantat dulce liberalitas,
Ac erogatas in Dei cultus opes,
De lubra pulchro fulgurant passim tholo
Aræ renident, stat sûus Divis honos
Per Te reductus, ante cui tristis fuit
Impunè squallor: labiles clero lares.
Aptas & urges arte SEMINARIVM,
Virtutis illud tum quoq, Receptaculum,
Sedem bonarum quas colant hic artium
Quos sanctioris irruit vitæ calor.
Te CANTIANÆ dulce pignus gratiæ
LVBRANSCIÆq, munus altum Palladis.
Vbiq, magni gloriam fers Nominis,
Vbiq; celsum promovens in Te decus.
Ergo coronet vota successu Polus,
Longæva tranes lustra prosperis votis,
Faustoq; ducas in triumpho gloriam,
Corona sponsæ, Cor & Amor, Matris sacræ.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0013457